

ridicula namque est , potius platea digua , quam schola , quando etiam materia prima , etiam si sit substantia incompleta , est ens in se & per se subsistens independenter ab alio tamquam a subiecto , quando in sententia ex aduerso sit subiectum primū cæterorum , & etiam in sententia nostra , si de subiecto contradictionis , perfectionis , ac denominationis perfectionis loquamur . Quod si dicant talem independentiam a subiecto utique competere substantiæ formalí , non autem materiali substantiæ , redundunt idem per idem , & sic ego dico hanc esse questionem soluendam , videlicet an dari possit substantia , cui competit esse dependenter a subiecto ; etenim certum est materiam primam Aristotelicam esse ens verum , proprium , & reale , non fictum ab intellectu in aduersantium sententia ; habet namque suam essentiam realem a parte rei sine forma , cum sit verè , ac verum ens ; ergo veram , & realem existentiam habet indistinctam ; est enim existentia cuiusque rei formaliter sumpta id , per quod formaliter res ponitur , & constituitur in esse actu , siue in esse in se , & extra suas causas , alias positio essentiæ , & existentiæ duę entitates reales distinctas essent ante mentis opus , & sic posita essentia materię non poneretur per locum intrinsecum materia ipsa , & sic data essentia materię a parte rei deberemus pone-re materię positionē , ad quā nō sufficeret materię existentia , nec essentia : ex quibus arguo ; materia prima quia habet propriam essentiam realem , non per intellectum fictam , aut logicam , & est ens extra causam , ac verum ens , non dependet a subiecto ; ergo nec quisquis alia substantia , etiam si forma peripatetica sit , a subiecto illo modo dependere potest , cum verè ac verum ens substantiale sit , & substantia sub iure suo , immò iuxta aduersariorum sententiā , substantia materia perfectior , cum per eos hec rationem potentię habeat , illo verò rationem actus perfectivi ; ergo &c.

12 Denique sic argumentor . ratio substantiæ vt sic , vt dixi in logica cum de prædicamento substantiæ , & dictum est supra n . antecedenti , ratio inquam substantiæ vt sic , præscindendo a completa , & incompleta , si consideretur secundum rationem substantiæ , est absolutè ens in se independenter ab alio tamquam subiecto ; ergo implicat quod aliqua entitas sit substantia etiam incompleta , & independens a subiecto non sit ; nam tam forma , quam materia Aristotelica in suo genere , entia completa-

*... nonnihil an sed ut originis inveniuntur in aliis quod sunt,*